peccata sua multa quoniam dilexit multum. et apostolus dicit quoniam caritas cooperit multi
tudinem peccatorum. est adhuc & septima licet dura & laboriosa per penitentiam
remissio peccatorum. cum lauat peccator in lacrimis stratum suum. & fiunt ei
lacrimae suae panes die ac nocte. cum non erubescit sacerdoti domini indicare peccatum.
& quaerere medicinam. secundum eum qui ait. dixi pronuntiabo aduersus me iniu
stitiam meam. & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur illud quod iacobus
apostolus dicit. Si quis autem infirmatur uoc& presbiteros ecclesiae. & inponant
ei manus unguentes eum oleo in nomine domini. & oratio fidei saluabit infirmum
& si in peccatis fuerit remittuntur ei. et tu ergo cum ueneris ad gratiam baptismi
uitulum obtulisti quia in morte christi baptizaris. cum uero ad martyrium duce
ris. hyrcum obtulisti. quia auctorem peccati diabulum iugulasti. cum autem
elymosynam feceris & erga indigentes adfectum misericordiae. sollicita pietate
dependeris altare sacrum haedis pinguibus onerasti. Nam si ex corde remise
ris peccatum fratri tuo & iracundiae tumore deposito mit[illegible]tate & sim
plicem recollegeris animum immolasse te arietem uel agnum in sacrificium
obtulisse confide. porro autem si diuinis lectionibus instructus meditan
do sicut columba & in lege domini uigilando die ac nocte ab errore suo conuerte
ris peccatorem. & abiecta nequitia ad simplicitatem eum columbae reuo
caueris adque adherendo sanctis feceris eum turturis eum imitari. par tur
turum aut duos pullos columbarum domino obtulisti. Quod si illa quae super
maior est caritas abundauerit in corde tuo. ita ut diligas inimicum tuum.
non solum sicut te ipsum. sed sicut ostendit ille qui dicebat maiorem hanc
caritatem nemo hab& quam ut animam suam ponat pro amicis suis. pa
nes similacios in caritatis oleo subactos sine ullo fermento malitiae & nequi
tiae in azimis sinceritatis & ueritatis te obtulisse cognosce. Si autem in a
maritudine fletus tui fueris. luctu. lacrimis & lamentatione confectus.
Si carnem tuam maceraueris & ieiuniis ac multa abstinentia aridam fe
ceris. & dixeris quia sicut frixorium confrixa sunt ossa mea. tunc sacri
ficium similam a sartagine. uel a graticula obtuleris. & hoc modo inue
neris tu uerius & perfectius secundum euangelium offerre sacrificia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

HESSEN
Staatliche Schlösser
und Gärten Hessen

Organisation der
Vereinten Nationen für
Bildung, Wissenschaft,
Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch
Welterbestätte
seit 1991

© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0402